



## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118472**

§. 88. Rex porrecto gladio sese Neapolis Proregi captum tradit.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66495](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66495)

Sæcul. XVI  
A. C. 1525.

rum Rex indignatione in rabiem versa palam contestabatur, se potius mortem subituro, quam gladium suum proditoris manibus tradituro, moxque ad Pomeranum conversus eidem significavit, ut Lanoyum Neapolis Proregem adesse juberet; huic enim soli libenter se gladium suum tradituro asserebat.

§. LXXXVIII.

*Rex porrecto gladio sese Neapolis Proregi captum tradit.*

Steidan. in  
Comm. l. 4.  
p. 427.

Lanoyus rupta omni mora accurrit, ac sub venerationis specie quinquaginta omnino passus a loco, ubi detinebatur Rex, semotus equo descendit, quem propius adventantem Rex his verbis italo sermone allocutus, inquiebat: „Lanoye, Domine mi, en gladium Regis sua laude digni; priusquam enim illum cedere coactus fui, eodem ferro vestrum plures trucidavi, nec ob ignaviam, sed sinistræ fortunæ iniquitatem captus vestræ subjicior potestati „ Lanoyus flexo poplite ac exhibita reverentia gladium a Rege recepit, ejusque dexteram exosculatus, suum exemit gladium, eumque pari submissione Regi tradidit, dixitque: „Majestas sua meum acceptet gladium, qui plurium vestrum cruori pepercit; in-

33 con-

„ congruum enim est, ut Cæsaris Mini-  
 „ ster Regem licet captivum, armis ta-  
 „ men nudatum conspiciat. „ Placuit  
 Regi Viri comitas. Interea plures con-  
 currebant Centuriones, qui inter bra-  
 chia sua Regem ad Proregis tentorium  
 deferebant; vero tamen magis simile  
 est, idque nonnulli testantur Historici,  
 Regem equo vectum ad Lanoyum fuis-  
 se deductum. Ibidem ejus vulnera in-  
 spiciebantur, quæ tamen nonnisi levia  
 erant. Referunt quidam Scriptores  
 Hispani, Lanoyum Regi, ut Borbonius  
 sua eidem obsequia deferre permittere-  
 tur, instanter supplicasse, illum vero re-  
 spondisse, tentorium locus adeo sacer  
 est, ut Duci hanc gratiam recusare ne-  
 fas foret; igitur Borbonius Regem in-  
 visens cænanti inclinato genu manum  
 osculabatur, eique mappam porrexit.  
 Attamen ex Gallis Scriptoribus disci-  
 mus, Regem Borbonii conspectum haud  
 sustinuisse, idque nativo ejus genio ma-  
 gis consonum videtur, quamvis non  
 diffiteamur, quod forte Rex fatali re-  
 rum necessitate compulsus, ad Lanoyi  
 preces Borbonio delicti veniam con-  
 cesserit.

æcul. XVI.  
 A.C 1525.